

ex uirgine natum dicit, & uisibilem factum, uel passum in carne, affirmat. Ut ergo excluderetur talis impietas de patre uidentur hic addidisse maiores, & inuisibilem atq; impassibilem dixisse. Constat enim filium, non patrem in carne natum, & ex natiuitate carnis, filium uisibilem & passibilem factum. Quantum autem spectat, ad illam deitatis, immortalem substantiam, quæ una & eadem cum patre est, etiam inuisibilis & impassibilis dicitur.

**IX.** Ex his manifestum est, Serueti hæresim non nouam esse, sed antiquiorem Cypriano, & propter hanc ipsam, in symbolo Ecclesiarum Affricæ additam esse uocem, inuisibilem, ut clare testatur Cyprianus, in quo etsi multa sunt præclara testimonia, contra Serueti impiissimum dogma, tamen oportet modum esse in citandis testimonijs, ueniam igitur ad illa, quæ ex alijs citat.

**X.** Quæ autem affert ex utroq; Clemente, nihil opus habent refutatione, quia nihil pro eo faciunt, & ipse fatetur cum Epiphanio & Ruffino, prioris Clementis scripta suppositicia esse. Sed quæ ueraciter sint, quid pro eo facit, id quod  
ait,